



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Petri Laurenii Societatis Jesu, SS. Theologiæ
Doctoris, & SS. Canonum Professoris Vicarius Episcopalis,
Sive Tractatus Quaternarius Per Quæstiones & Responsa
Canonica Deductus**

Leuren, Peter

Coloniae Agrippinae, 1708

181. An dare possit licentiam ingressuro Religionem abdicandi se suis
bonis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74203](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74203)

Questio 181. An Vicarius sine speciali mandato possit dare licentiam ingrediendi clausuram Monialium?

Respondeo affirmative: Sbroz. l. 2. q. 209. Trident. enim sess. 25. c. 5. volens quod nemini liceat ingredi intra septa monasterii cujuscunque generis, aut conditionis vel ætatis fuerit, sine Episcopi vel Superioris licentia in scriptis obtemperata, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, & quod hujusmodi licentiam dare tantum possit Episcopus vel Superior in casibus necessariis, quos recenset Gl. in c. 1. de stat. regular. in 6. v. causa, non excludit, quin & expressè satis includit Vicarium; cum Vicarius Episcopi dicatur æque superior ac Episcopus juxta Archid. in c. Romana. de appellat. in 6. sed neque ipsum illud verbum Episcopus non excludit Vicarium. Sbroz. l. cit. n. 2. citato Felin. in c. si quis contra. de for. compet. num. 5. juxta dicta à nobis sæpe alias. Quod verò Vicarius foraneus non possit hanc licentiam concedere sine speciali commissione, ait Pignat. Tom. 6. conf. 85. num. 242. juxta declarat. S. Congregat. Concil. in Pistoriens. 3. Decemb. 1602.

Questio 182. An Vicarius concedere possit licentiam ingressuro Religionem abaicandæ se suis bonis?

Respondeo: cum ingressurus Religionem olim poterat de rebus suis disponere inter vivos, donando sub conditione, si Religionem fuerit professus; hodie verò nulla renuntiatio aut obligatio etiam jurata, etiam in favorem piæ causæ, teneat nisi facta de licentia Episcopi intra duos menses proximos ante professionem juxta Trident. sess. 25. c. 16. de Regular. hanc licentiam quoque concedere poterit Vicarius juxta expressa verba Concilii l. cit. dicens: nisi de licentia Episcopi sive ejus Vicarii.

Questio 183. Num Vicarius sine speciali commissione dare possit licentiam extrahendæ reum ab Ecclesia?

Respondeo affirmative; sic enim habent ipsa verba constitutionis Gregorianæ de immunitate Ecclesiæ apud Pignat. Tom. 9. consult. 35. num. 1. nemo extrahetur, & c. sine licentia Episcopi vel ejus Officialis, ad quos solos, & non alios Episcopis inferiores prædictam licentiam dandi facultates pertineat, & c. Ex quibus etiam posterioribus verbis patet, potestatem istiusmodi licentiam dandi non comperere Vicario foraneo; cum ibi designetur specialis persona Episcopi, & ejus Officialis, qui tantum est Vicarius generalis. Pignat. cit. n. 1. juxta Clem. si principalis. de rescript. & ibi Gl. v. Officialis, c. Romana. de appell. in 6. c. ex frequentibus. de constitut. & ibi Gl. v. Officialis. & sic expressè responderet S. Congregat. immunitatis in Spoletana 29. Maij. 1629. apud Pignat. l. cit. n. 2. hisce expressis: Vicarius foraneus non habet facultatem extrahendæ, & c. Num verò Vicario foraneo dicta potestas ab Episcopo, ejusve Vicario generali delegari possit, merito dubitamus, cum, ut Pignat. num. 1. per dicta verba S. Congregationis censetur electa industria personæ, adeoque ipse Vicarius non possit dictam facultatem concedere alteri seu subdelegare; cum extractio rei ab Ecclesia sit odiosa Ecclesiæ, videtur non posse extendi auctoritas extrahendi ad personas non expressas, qualiter in dicta constitutione Gregor. non exprimitur, nisi Episcopus & ejus Officialis. Adducit nihilominus Pignat.

l. cit. num. 2. declarationem dictæ S. Congregat. immunitatis de 13. Martij. 1613. quæ responderet extractionem non egere dispensatione in casu sibi proposito, ubi nimirum Vicarius Episcopi in ejusdem absentia facultatem delegaverat generalem concedendi hujusmodi licentiam.

2. De cetero in casibus, in quibus ad Ecclesiam confugientes non gaudent illius immunitate, non posse adhuc Judices sæculares propriâ auctoritate extrahere, vel extrahi facere delinquentem per vim ab Ecclesia sine licentia Episcopi aut ejus Officialis, & cum interventu personæ Ecclesiasticæ ab eo auctoritatem habentis, nisi ubi Episcopus talem licentiam dare recusaverit, expressè cautum esse in dicta constitutione Gregor. testatur Pignat. l. cit. num. 5. ita etiam ut si in istis casibus exceptis fieret extractio auctoritate Judicis sæcularis, is non evaderet pœnas constitutas violentibus immunitatem ecclesiasticam. Pignat. num. 4.

Questio 184. An Vicarius beneficiatis, alias adstrictis ad residendum, dare possit licentiam abessendi studiorum gratiâ?

Respondeo primò: in locis, ubi Episcopus est Abbas alicujus monasterii, non poterit ejus Vicarius absque speciali commissione Monachis licentiam dare studiorum causâ aliò proficiscendi. Sbroz. l. 2. q. 102. num. 3. & 2. citans Abb. conf. 88. num. 5. & seq. Pavin. de potest. Capit. sed. vac. p. 2. q. 8. num. 25. & cum his Barbol. de potest. Episc. allegat. 54. num. 93. Pax Jord. l. 12. tit. 1. num. 200. Et rationem dat Sbroz. cit. num. 2. quia Monachus siue licentia Abbatis sui ad studium proficiscimon potest. Limitat tamen hoc ipsum Sbroz. cit. n. 3. ut id possit Vicarius Episcopo existente in remotis.

2. Respondeo secundò Pax Jord. idem quoque dicendum de licentia beneficiatorum sæcularium studiorum gratiâ residentium deferentium. Idem sentire videtur Fagn. in c. relatum. de Cleric. non residentibus à n. 42. ubi: S. Congregat. permisit, ut in casibus repentinis pro absentia modici temporis sufficeret licentia Vicarii foranei; cum aliqui Concilium requirant licentiam Ordinarii, & Vicarius foraneus non sit Ordinarius, sed solus Vicarius generalis; imò dubitari potest etiam de Vicario generali, maxime existente in Diocesi Episcopi, & c. Nam si Fagnanus dubitet, an Vicarius generalis dare possit licentiam abessendi modico tempore, magis certè dubitabit aut negabit id eum posse ad longum tempus studiorum gratiâ. Verùm revidenda hic sunt, quæ tradidi in foro benef. part. 1. ubi de residentia beneficiatorum.

Questio 185. An Vicarius dare possit licentiam Religiosis ministrandi Sacramenta extreme Unctionis, vel Eucharistiæ Clericis vel Laicis alienæ Parochiæ?

Respondeo: posse id Vicarium tanquam Ordinarium, supponere videtur Sbroz. l. 2. q. 16. n. 1. dum dicit: Vicarium id non debere facere juxta Gl. in Clem. 1. de privileg. v. Presbyteri. dicentem, quòd ubi Ecclesia parochialis non vacat, consulendum est Religiosis, ut à licentia Episcopi vel Archiepresbyteri civitatis se abstineant. & Abb. in cit. Clem. num. 11. ubi etiam quod Religiosi, si de auctoritate Diocesani sacramenta illa ministrarint excusentur à pœnis.